

Deus enim habitat in templo suo. Non enim tanquam minister habitat spiritus dei in templo dei. cum alio loco eundem dicitur dicat. Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est spiritus sancti quem habetis a deo. et non estis vestri. empti enim estis. precio magno. glorificate et portate deum in corpore vestro. Quid est autem sapientia nisi lumen spirituale et incommutabile est enim et sol iste lumen sed corporale est. et spiritalis creatura lumen. sed incommutabile. lumen ergo pater. lumen filius. lumen spiritus sanctus. Simul autem non tria lumina. sed unum lumen. Et ideo sapientia pater. sapientia filius. sapientia spiritus sanctus. et simul non tres sapientie. sed una sapientia. et quia hoc est ibi esse quod sapere. una essentia pater et filius et spiritus sanctus. Nec aliud est ibi esse. quam deum esse. Unde ergo deus. pater et filius et spiritus sanctus. *et Cal. 87*

Taq; loquendi causa de ineffabilibus. ut fieri aliquo modo possumus. dictum est a nostris grecis una essentia. tres substantie. a latinis autem una essentia vel substantia. tres persone quia sicut iam diximus. non aliter in sermone nostro. id est latino essentia quam substantia solet intelligi. Et dum intelligatur saltem in enigmate quod dicitur. placuit ita dici ut diceretur aliquid cum quereretur quod tria sint. que tria esse fides vera pronuntiat. cum et patrem non dicit esse filium et spiritum sanctum quod est donum dei nec patrem dicit esse nec filium. Cum ergo queritur quid tria. vel quid tres. conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen quo complectamur hec tria. neque occurrit animo quia excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. Verum enim cogitatur deus quam dicitur. et verius est quam cogitatur Cum enim dicimus non eundem esse iacob qui est abraham. isaac

autem nec abraham esse nec iacob. tres esse utique fatemur abraham. isaac. et iacob Sed cum queritur quid tres. respondemus tres boves nomine speciali eos pluraliter appellantes. generali autem si dicamus tria animalia. homo enim sicut veteres diffinierunt. animal est rationale. mortale. Aut sicut scripture nostre loqui solent. tres animas cum a patre meliore totum appellari placet id est ab anima. et corpus et animam quod est totus homo. Ita quippe dictum est in egyptum descendisse cum iacob animas lxxv. pro tot hominibus. Item cum dicimus equum tuum non eum esse qui meus est. et tertium alicuius alterius. nec meum esse nec tuum fatemur tres esse. Et interroganti quid tres. respondemus tres equos nomine speciali. generali autem. tria animalia. Item cum dicimus bouem non esse equum. canem vero nec bouem esse nec equum. tria quedam dicimus. et percunctantibus quid tria. non iam speciali nomine dicimus tres equos. aut tres boves. aut tres canes. quia non eadem specie continentur sed generali tria animalia. siue superiore genere. tres substantias. vel tres creaturas. vel tres naturas. Quaecumque autem plurali numero enuntiantur. specialiter uno nomine. etiam generaliter enuntiantur possunt. Non autem omnia que generaliter uno nomine appellantur. etiam specialiter appellare uno nomine possumus. Nam tres equos quod est nomen speciale. etiam animalia tria dicimus. Equum vero et bouem et canem. animalia tria tantum dicimus vel substantias que sunt generalia nomina. et si quid aliud de his generaliter dici potest. Tres vero equos. aut boves aut canes que specialia vocabula sunt. non ea possumus dicere. Ea quippe uno nomine quam pluraliter enuntiamus. que communiter habent illud quod eo nomine significatur. Abraham quippe et isaac. et iacob. commune habent id quod est homo. Itaque dicuntur tres homines. Equos